



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LXXXVIII. Electionis, factæ à Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ contra
prohibitionem Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)



CONSLIUM LXXXVIII.

In causa Electionis contra mandatum Episcopi.

SUMMARIUM.

1. *Facti species.*
2. *Probationes pro valore electionis.*
3. *Potest Episcopus Canonicis sibi subjectis prohibere, ne intra certum tempus ad electionem procedant:*
4. *& id quidem sub pena nullitatis.*
5. *ab ejusmodi prohibitione non potest appellari.*
6. *Deciditur, electionem contra prohibitionem fuisse invalidam.*
7. *Respondetur ad rationes oppositas.*
8. *Jus eligendi ad superiorem devolvitur, vel ob negligentiam vel ob culpam.*
9. *Tempus non currit legitimè impeditis.*
10. *Per suspensionem electorum jus eligendi non statim devolvitur ad superiorem.*
11. *Si electio fiat contra prohibitionem, jus eligendi propterea non devolvitur ad superiorem, sed potius residet in uno, qui contra prohibitionem non egit.*
12. *Deferendum est appellationi interposita ex justa causa.*
13. *Varia apostolorum species.*
14. *Appellatio a censuris absolute latis non suspendit eorum effectum.*
15. *Deciditur, appellationi in substrato casu non esse deferendum.*

FACTI SPECIES.

I.



N certa Ecclesia Collegiata nuper vacavit ex morte D. Præpositi præpositura. huic ut rursus aliquem DD. Canonici sufficerent, pro electione facienda indixerunt primò 14. Jan. subinde tamen hoc tempus ad petitionem Principis territorialis moram longioram exposcentis prolongarunt usque ad 4. Febr. quia verò intra hoc tempus ad Celsissimum Episcopum, cuius jurisdictioni subjecta est illa Ecclesia, aliqua delata sunt, quæ videbantur necessariò ante electionem debere examinari, & decidi, præsertim, quòd dubium esset, an aliquis ex DD. Canonici Electoribus sit validè suscepitus, qui tamen vocem activam & passivam habiturus erat, scripsit Celsissimus Canonicus, & imperavit, & quidem sub poena suspensionis ipso facto incurrandæ, nullitatis electionis, aliaque arbitria (quòd alias jam sèpius illos expertus fuisset refractarios, inobedientes &c.) ut electionem eò usque different, dum examen illud peractum esset. & obtinuerunt DD. Canonici illud Celsissimi decretum jam 29. Januar. deinde 2. Febr.

Commissarius à Celsissimo ad ipsos mis-
sus, eam Celsissimi voluntatem sub iis-
dem poenis ipso facto incurrendis iterum
iterumque verbis præsens explicavit: sed
his nihil moti DD. Canonici (excepto
uno, qui etiam per Notarium ad electio-
nem vocatus non comparuit motus pro-
hibitione Reverendissimi Domini Ordinarii) sed postquam pridie protestationem
& appellatione ad Superiorē quemcunque
interposuere (quam tamen hactenus nul-
libi introduxerunt ob negatos apostolos)
4. Febr. electionem novi Præpositi per-
fecerunt.

QUÆRITUR I.

*An hec Præpositi electio va-
lida sit?*

Pro valore illius stat 1. quia videtur; 2.
quòd Episcopus Canonicis prohibe- Rationes
re non potuerit, ne ad electionem pro- dubitandi
cedant; nam jus eligendi est privilegium
concessum à Pontifice, quod adimi ab
inferiore non potest juxta
reg. indulsum 17. de R. J. in 6.
2. si inhibere electionem potuit, saltet
non potuit sub poena nullitatis; posito,
quòd facta illa sit secundum formam ju-
xta

re præscriptam; quia electio formâ juris servatâ valida est secundum jus commune. Episcopus autem id, quod per jus commune indultum est, non potest tollere juxta cit. Reg. 3. esto, quod irritare electionem faciendam possit Episcopus, appellatio tamen Electores restituit in statum pristinum, in quo erant ante decretum Celsissimi inhibens electionem sub pena nullitatis; nam appellatio interposita à sententia inferioris ad superiorum effectum suspensivum habet, ita ut possessor ea pendente commodo possessio- nis fruatur, & recte possessionem suam continuet; atqui inter commoda posses- sionis Canonicatus est jus eligendi: ergo illo frui, & uti poterant non tan- tum reliqui DD. Canonici, de quorum institutione non fuerat dubium, quod sit valida, sed etiam ille alter, ob cuius dubium jus facta est inhibito ista. Ad illorum argumentorum solutionem, & fundamentalem responsonem pro qua- stione proposita trium dubiorum, quo- rum occasionem tria argumenta proposita faciunt, resolutio præmitti debet.

3. DUBITATUR I. an prohiberi Canonicis Dubium 1. possit, ne intra tempus à jure concessum ad electionem procedant? Certum est, hoc ipsis prohiberi posse a Romano Pontifice, vel ejus Legato, ita ut teneantur Canoni- ni vel licentiam obtinere à Superiori, antequam ad electionem procedant, vel differre illam, donec quæstio aliqua dubia ad electionem, eligendos vel electo- res pertinens decidatur. Colligitur ex c. fin. de Elect. & notat ibidem Gonz. n. 3. idem etiam in Religionibus Generales sta- tuere posse docet.

Hier. Garcias tom. 2. polit. regul. tr. 2. difficult. 2. dub. 4. pag. 22.

dubium procedit de Episcopo, aut alio Superiore, qui sit Pontifice inferior? nam contra hunc militare videtur regula 17. cit. quod indultum à jure beneficium non sit alicui auferendum; atqui con- cessum Canonicis à jure est hoc benefi- cium, ut quocunque tempore sibi com- modo convenire ad eligendum, & elec- tionem perficere possint: ergo hoc be- neficium non potest ipsis auferri, nisi ab eo, qui superior est jure.

Resolvitur. Verum hoc non obstante respondeo, et si Episcopus non possit Canonicis jus eligendi tollere, ex rationabili tamen ju- sta & necessaria causa præcipere ipsis potest, ut electionem differant. Pars prima respon- sionis recte probatur ex reg. 17. cit. & dedu- duo ex hac argumento. Pars altera ostendit 1. potest Episcopus ex justa & nec- essaria causa tempus electionis restringere, & præcipere Clericis subjectæ sibi Ecclesie, ut intra brevius tempus eligant, ut cum communis doceat

Layman. de elect. Prælat. Eccl. c. 9. n. 96.

Ergo ex simili causa etiam præcipere iis- dem potest, ut electionem differant.

2. non est contra potestatem Superioris excludere aliquem, vel aliquos ab electio- ne passiva, modò ad hoc inducatur ratio- ne legitima, & hanc iis declarat, ad quos spectat v. g. quia sunt criminosi probati, vel suspecti, nec se purgaverunt canonice, vel aliquod aliud patiuntur impedimentum canonicum. Ergo etiam Superioris & Episcopi potestatem non excedit, ubi prius aliqua necessariò examinanda sunt, interea electoribus præcipere, ut absti- neant ab electione. Probatur consequen- tia. nam ideo in casu antecedente potest Superior tallem excludere à voce passiva, quia talis exclusio non est propriè coarcta- tio juris concessi à Principe, sed instru- ctio eligentium, ut non eligant indig- num. atqui talis instructio corundem etiam est prohibitio Episcopi, qua inhibe- ber electoribus, ne ad electionem pro- cedant, antequam examinentur, quæ ante此 necessario examinanda videntur, quia tantum intruit ipsis, quod ipsimet de- buissent facere. Ergo &c.

3. Episcopus tanquam legitimus Su- perior supplere potest, & debet defectus subditorum suorum, & facere id, quod omiserunt isti; atqui casu, quo aliqua necessariò examinari debent ante electio- nem, electores debent differre electio- nem, dum dubia illa decidantur: ergo casu quo electores hæc non examinant, vel examinare nolunt, potest Episcopus defectum illorum supplere, examen istorū avocando ad se, & interea inhibendo electoribus, ne procedant ad elec- tionem.

4. Possunt Capitulares ipsi ex justa cau- fa cæteris collegis suis inhibere, ne ad electionem sine ipsis procedant, ut ha- betur c. bona memoria 23. de elect. Ergo etiam Episcopus, si similem causam habeat; namque non minus jus est Epis- copi, aut obligatio ejusdem, ut curet bene fieri electionem, quam sit jus & ob- ligatio ipsorum eligentium. Ex quo pa- tet responsio ad argumentum oppositum; negatur enim, quod Episcopus inhiben- do electoribus, ne ad electionem pro- cedant, tali casu ipsis tollat privilegium aliquod à jure concessum, nam tantum monet ipsis obligationis suæ, & elec- tionem differre jubet, quam ipsimet ex tali causa debuissent differre.

DUBITATUR II. an casu, quo Superior aliquis prohibet mandatò sub, ne aliqua communitas vel Capitulum celebret electionem, & nihilominus celebretur electio, electio te- neat? Resp. cum distinctione: vel enim simpliciter solùm prohibet procedi ad elec- tionem, vel simul dicit, quod electio

(Ggg gg3)

4.

Dubium 2.

CONSLIUM LXXXVIII. ELECTIONIS.

aliter facta sit irrita. si primum, tenet electio, modò dignus aliquis electus sit. si secundum contingat, & Superior ita prohibens irritare electionem possit, idque in scriptis dicat, aliter factam electionem fore irritam, erit illa invalida. Ita Portel.

*dub. regular. V. elect. in addit. ad addit.
n. 4.*

& ex eo Pellariz.

Man. regul. tract. 9. c. 2. n. 60.

Colligitur ex

*c. inter catena 17. & c. dilectus 27. de
prabend. junct. Gloss. ibid. V. collata.*
Ratio est: quia si communitas habet jus eligendi, & eligit canonice, sola prohibitio, quod non eligat, non irritat electionem; nam multa fieri prohibentur, quæ tamen acta valent, debet ergo Prælatus esse talis, qui possit irritare electionem, ipseque in scriptis dicere, electionem aliter factam fore irritam, difficultas dubii praesentis in eo est, an Prælatus Pontifice inferior irritare electionem possit: ubi iterum certum est, quod multis casibus irritare possit electionem factam, ut patet ex variis textibus juris Pontificii, sic enim 1. irritare potest electionem, ad quam electores scienter ad miserunt inhabilem v. g. excommunicatum vitandum; nam

ut Laym. de elect. Pralat. Eccl. c. 3. n.

26. in fin.

monet, talis electio non idcirco est irrita, cum id nullo jure expreßum sit, sed tantum irritanda à Superiori. 2. irritare potest electionem ad querelam unius contempti, seu non vocati ad electionem; cum vocari debuisse & posuisse

c. quod sicut 28. c. bona 36. de elect. &

ibi interpp.

3. Potest irritare & rescindere electionem, si ad Ecclesiam sibi subjectam electus sit aliquis, qui legere & scribere quidem novit, sed non intelligit ea, quæ ad munus suum exequendum necessaria sunt.

Trid. sess. 7. c. 3. de Reform. & sess. 24.

c. 12. de Reform.

nam probabiliter talis electio valet, si Ecclesia non sit Cathedralis, aut beneficium curatum. 4. potest irritare & rescindere electionem, quæ facta est per scrutinium non servatam formam scrutinii, quia ut

Laym. de elect. Pralat. Eccl. c. 7. n. 81.
notat, talis electio, si non rescindatur, subsistit, & electus in conscientia tutus est; cum naturalis obligatio orta ex consensu eligentium subsistat. Plures causas reperiuntur passim, quibus irritare Episcopus electionem ad Ecclesiam sibi subjectam factam potest. punctum difficultatis in eo est, an irritare possit Episcopus electionem faciendam, & eam inhibere sub pena invaliditatis, casu quo contra

inhibitionem electores ad electionem procederent, ratio difficultatis est; quia sic eligendo usi sunt favore & privilegio sibi induito à jure communi, quo habetur pro valida omnis illa electio, quæ facta est secundum formam à jure præscriptam; cum igitur favorem & privilegium à jure communi induitum Episcopus non possit tollere, non poterit facere, ut electio, quæ secundum jus commune est valida, propter ipsius prohibitionem sit invalida, sed distinguendum est: usi sunt electores sic eligendo favore & privilegio sibi induito à jure communi, & usi sunt eo benè, nego. usi sunt eo perperam, concedo. & hinc ob perperam factam electionem meritò puniri possunt, & poenam merentur tanquam contumaces, & contemptores justi præcepti ab Ordinario suo dati. sed quam poenam? judico illam, quam Episcopus censebit necessariam esse ad finem suum obsinendum, igitur si necessarium judicaverit prohibere electionem sub poena nullitatis, poterit illam etiam prohibere sub ista poena; cum enim Episcopus merum & mixtum imperium habeat, adeoque ad legem & jurisdictionem ejusdem spectet potestas ferendi poenam amplissima, si quos ex subditis suis contumaces, aut jurium suorum violatores, vel aliter delinquentes reperebit, poterit eo casu, quo necessarium judicaverit, etiam irritare electionem à se prohibitam, si contempta prohibitione fiat. Confir. 1. potest Episcopus pro ratione delictorum infligere subditis sibi tum Clericis, tum laicis poenas longè graviores, nec spirituales tantum per censuras Excommunicationis, suspensionis, interdicti, vel alias depositionis, degradationis, vocis activæ & passivæ privationis &c.

c. conquerente 16. de Offic. ord.

sed etiam corporales carceris, tritemum, verberum &c.

c. cum Episcopus 7. cod. in 6.

Ergo si ita necessarium visum fuerit, infligere etiam poterit eligentibus contra suam inhibitionem poenam invaliditatis electionis ipso jure incurrendæ. Conf. 2. in casibus suprà relatis potest Episcopus irritare, & rescindere electionem jam factam in poenam delicti commissi. atqui multò gravius delinquunt, qui adversus prohibitionem Ordinarii ad electionem procedunt; nam isti ostendunt se verè contumaces, & contemptores præcepti sui: imò juris communis, juxta quod ad electionem procedi non debet, nisi examinatis priùs omnibus, quæ examinari ante electionem debebunt.

DUBITATUR III. an appellatio à DD.
Canonicis in casu præsentis interposita eisdem ju- Dubium 3.
verit, & efficerit, ut valide possint eligere?
Hoc quidem probare videtur argumentum

tum tertium allatum n. 2. Respondendum tamen est negativè; quia appellatio frivola & frustratoria non suspendit sententiam: atqui talis erat hæc appellatio. P. min. nam appellatio frivola est, ubi nullum gravamen vel modicum illatum est, atqui in dicto casu vel nullum, vel modicum, idque non injustum gravamen illatum est electoribus, quia ut n. 3. dictum est, id tantum imperatum est ipsis, quod ipsimet debuissent fecisse, si officio suo satisfacere voluissent, scilicet ut different electionem, dum examinarentur omnia, cuæ prius necessariò examinanda erant, de jure autem eligendi nihil ipsis diminutum fuit; nam adhuc potuissent eligere: mò nec tempus currebat ipsis pro electione à jure concessum, utpote toto illo tempore legitimè impeditis, quo per interdictum Episcopi non licebat ipsis ad electionem procedere. Conf. non putabant DD. Canonicos læsos in jure suo, quando regimen principale petiit prolongationem electionis, igitur multò minus læsos se judicare debent, quando dilationem petiit legitimus illorum Superior Ecclesiasticus, & Ordinarius. appellatio autem justa solum est à gravamine, quo irjuste quis læsus est, vel lædendum se time: ergo &c.

6. Ex his patet responso ad quæstionem Resolvitur n. 2. propositam, dicendum enim est, electionem istam Præpositi fuisse invalidam, probatur ex hac tenus dictis; nam casu, quo Superior aliquis mandato suo prohibet, ne aliqua communitas vel Capitulum celebret electionem, si prohibere illam possit sub poena invaliditatis, & sub hac poena prohibitam se velle scriptis ostendat, electio est invalida, ut dictum est n. 4. atqui Episcopus ex justa & necessaria causa potest prohibere electionem, ut patet ex n. 3. potèque illam contra mandatum suum faciendam prohibere sub poena nullitatis ut constit ex n. 4. & sic prohibitam se velle Celsissimus Ordinarius ostendit in scripto litteris inhibitorii ad Capitulum datis, ut habetur in specie facti n. 1. nec devit justa & necessaria causa istius inhibitionis; nam ut iterum in casu ponitur, aliqua delata sunt ad Episcopum, quæ videbantur ante electionem necessariò examinanda esse: ergo electio ista erit invalida. Conf. nam in casu dato ipsi Capitulares, antequam procederent ad electionem, debuissent examinare causas istas, & interea electionem differre; igitur cum hoc non fecerint, merito illorum negligentiam suppleturus Episcopus examen hoc avocavit ad se, & interea prohibuit electionem fieri: quod cum obtinere non speraverit ab iisdem utpote alias refractariis, nisi dictando ipsis poenam nullitatis electionis, casu, quo ad eam contra hanc

suam prohibitionem procederent, merito illam dictavit; id enim censetur Episcopus posse, quod necessarium est ad obtinenda ea, quæ vi munera sui agit & præcipit: ergo &c.

Neque contrarium evincunt argumenta n. 2. allata. Ad 1. hac prohibitione Responde Celsissimus non admetit Canonis jus eligendi, sed tantum jussit electionem deferri ex justa & rationabili causa, ob quam ipsimet debuissent illam differre, si officium suum rite facere voluissent. Neque dilatio gravis vel difficultas debuit illis accidere; si enim distulerunt electionem ad petitionem regiminis secularis, quare non etiam oportuisset illam differre ad præceptum Superioris sui Ecclesiastici, præfertim cum hac dilatione nihil paterentur, quippe quibus tanquam legitimè impeditis tamdiu non currebat tempus jure statutum pro electione, quamdiu durasset examen istud à Celsissimo institutum. Ad 2. sat's ostensum est n. 4. quod Episcopus ex justa & necessaria causa prohibere electionem possit sub poena nullitatis, si contra prohibitionem suam hæc celebretur. Ad rationem argumento huic adjectam verum est, neminem spoliari posse illo, quod per jus commune ipsi indulsum est, si eo rite utatur: negatur autem, quod hoc favore juris communis in casu præsenti Canonici rite sint usi; nam, ut rite eligerent, debuissent prius examinare, an nullus electorum laboret impedimento Canonico, quod ipsi vocem activam, vel passivam vel utramque tollat; quod tamen non fecerunt, sed Celsissimo suo Ordinario in hoc negligentiam illorum suppleturo contumaciter restiterunt, contra ejusdem prohibitionem procedendo ad electionem. Ad 3. appellatio appellantem non restituit in pristinum statum, nec effectum suspensivum habet, nisi quæ justa & rationabilis est; talis autem non fuit appellatio interposta à DD. Canonicis, cum per prohibitionem Celsissimi, qua electionem ipsis inhibuit, gravamen injustum nullum sit passi.

QUÆRITUR II.

An, si electio hec sit invalida, bis Canonis secunda electio concedi debeat, vel potius Celsissimus jure devolutionis Præpositum constituere possit?

DEvolutio juris eligendi duabus ex causis fieri ad Superiorum potest. Primo ob negligentiam, si electio non fiat intra tempus à jure præscriptum
c. ne pro defectu 41. de elect.
 secundo ob culpam, potest autem in electione delinqui multipliciter,

I. Si-

1. Si electio fiat ab excommunicatis, suspensis, interdictis. 2. Si celebretur per abusum secularis potestatis. 3. Si in ea non servetur forma præscripta per jus Canonicum. 4. Si eligatur indignus. 5. Si celebretur electio contra justum imperium Superioris volentis ex legitima causa deferriri electionem. De 2do, 3to, & 4to modo delinquendi in præsenti casu quæstio esse non potest, cum in specie facti non fiat mentio, quod in aliquo ex his peccatum sit.

DUBITATUR I. an jus eligendi in casu nostro à Canonis devolutum sit ad Celsissimum ob lapsum temporis ad electionem faciendam à jure præscripti? Resp. negativè; nam ad electionem Prælati secularis, si jurisdicitionem generalem & ordinariam in Clericos sibi subjectos non habeat, conceduntur sex menses à die Prælaturæ vacantis, vel notitiae habitæ de vacatione, ut colligitur ex

c. 2. de concess. præbend.

atqui sex illi menses nondum sunt lapsi à die Prælaturæ vacantis; nam vacare incipit die 18. Decemb. præcedentis anni: nunc autem agimus Majum: ergo cum plus quam mensis adhuc superest ob lapsum temporis pro electione facienda præscripti devolutio juris eligendi ad Celsissimum nondum est facta. Difficultas est, an si intra mensem, qui adhuc de semestri à jure concessio superest, non fiat nova electio, devolutio ad superiori fiat? difficultas hæc solvi debet ex alio dubio; quo dubitatur, quandonam tempus à die notitiae de vacatione habitæ non currat eligentibus? Pro cuius dubii resolutione communis est responsio, id fieri tribus maximè causibus. 1. Si electio facta sit intra tempus à jure præscriptum, sed quæ non sit sortita effectum, quod electus v. g. consentire electioni noluerit, vel si consentit, quod eidem renuntiaverit, aut mortuus sit, vel quod ipsa electio ob occultum aliquid impedimentum vel defectus fuerit irrita; nam his causis conceditur electoribus integrum tempus ad faciendam aliam novam electionem, tempusque hoc numerari debet ab electi dissensu, renuntiatione, morte, vel electionis irritatione facta.

c. si electio 26. de elect. in 6.

2. si electores suspensionem vel aliam censuram incurrerint, ob quam prohibeantur eligere; et si enim impedimentum istud incurrerint suâ culpâ, durante tamen illo, tempus, quod interea fuit, numerari non debet

c. quia diversitatem 5. de concess. præbend. nisi tamen in culpabili mora fuerint non petendo absolutionem à Censura, quando possent; tunc enim tempus curreret, & computaretur ipsis à tempore moræ, & negligentia commissæ in tollendo impedimento.

Gloss. in c. quia diversitatem cit. V. suspensionis.

3. Si alio justo impedimento detenti non possint eligere.

Gloss. marg. in c. 18. dist. 16. Et Gloss. in c. quia diversitatem cit. V. Suspensionis.

ubi ait, quod tempus, in quo quis eligere non potest, non currat. Intelligi autem hoc debet de impedimento extraordino, quod per accidens occurrit, non ordinario, quod provideri potuit. Hinc etsi tempus aliquod intercedere debeat, dum absentes vocentur, & veniant ad electionem, tempus tamen electioni statutum currit; quia plerumque talis mora interponi debet, & hinc longius tempus ad eligendum statuitur.

Ex his tribus modis primus non prodest electoribus, quia ut ob irritationem electionis tempus non currat, necessarium est, ut impedimentum, vel defectus, ob quem irrita fuit electio, fuerit occultus, & postea primum manifestatus; atqui in casu nostro defectus non fuit occultus, cum omnibus electoribus in imatum fuerit decreatum Celsissimi, quo facto ipso irritam iussit esse electionem, siquidem fieret contra ejus prohibitionem. Sed neque alter modulus eosdem juvat; quia si voluissent se, ut debuerunt Ordinati sui obedientia submittere, & contumaciam deponere, facile impetrare absolutionem à censura suspensionis valuerint. Superest ergo modulus tertius videlicet impedimentum legitimum à Celsissimo per decretum suum prohibitorum electioni facienda positum: & hoc judico patrocinari Canonis, ut ob lapsum temporis à jure præscripti devolutio juris eligendi non fiat. Neque obstat, quod adversus decretum hoc electionem celebrando peccaverint; nam adhuc stat, quod à legitime facienda electione impediti fuerint, nec in ipsis potestate fuerit, removere hoc impedimentum. Esto ob delictum hoc exciderint jure eligendi, delictum tamen hoc nocere non potuit illi Canonico, qui prohibitionem Celsissimi veritus, non interfuit electioni; nam generalis est regula, si Capitulares aliqui ob abusum juris eligendi vel postulandi ea vice preventur hoc jure, potestatem totam ad alios non consentientes devolvi, quamvis numero pauciores sint, immo tantum sit unicus. Judico ergo, tempus numerandum primum à die, quo remota prohibitione Celsissimi Electoribus dabit licentiam eligendi, & sic ex lapsu temporis à jure præscripti devolutionem non esse factam, nec faciendam, et si intra mensem, qui adhuc de semestri superest, non fiat nova electio.

DUBITATUR II. an devolutio ad Celsissimum facta sit ob suspensionem, quam in Dubium 2. currerint Electores, dum adversus prohibitio-

nem

nem Celsissimi celebrarunt electionem sub pena suspensionis ipso facto incurrenda prohibitam? Resolutio istius dubii pendet ex trium aliorum dubiorum resolutione. 1. Quid requiratur, ut Canonici Electores ob suspensionem priventur jure eligendi? 2. ad quem devolvatur jus eligendi, si aliqui solum ex electoribus ob suspensionem privati sint jure eligendi? 3. cuius sit jus eligendi, quando omnes Electores suspensi sunt, & propterea non possunt eligere? ad 1. post Concilium Constantiense, & extrar. ad evitanda. In eo editam requiritur 1. ut nominatim & publicè sint denuntiati, alias nisi repellantur per exceptionem, suffragium illorum valebit, ut rectè observat.

Laym. in c. 8. de consuet. not. 5. & in c. 16. de elect. n. 8.

2. ut suspensi sint non à solo beneficio, nec à solo ordine, nec ab officio tantum aliquo particulari, sed ut suspensi sint vel expressè ab electione, aut voce activa, vel ab officio & beneficio simul, vel ab officio tantum, vel simpliciter neutro expresso; nam etiam suspensio simpliciter lata infert privationem officii, nisi aliunde constet eam latam esse solum ad beneficium.

Passarin. de elect. q. 10. à n. 88.

3. Ut suspensionis censura non sit suspensa per appellationem. Circa quod notandum, censuram absolute latam non suspendi quidem per appellationem, quia exceptionem sententiae post se trahit.

c. ad bac 3.7. & ibi Gloss. V. interdictum de appellat.

suspendi tamen censuram latam sub conditione, si appellatum sit ante conditionis eventum.

c. præterea 40. de appellat.

quia talis appellatio, si justa fuit, efficit, ut appellans non obligetur præcepto seu sententia Judicis. Ad 2. si aliqui solum Capitulares suspensi vel interdicti sint, & propterea privati sint jure eligendi, iis exclusis, jus eligendi pro ea vice ad alias censurā non irretitos devolvitur, eti pauciores isti sint numero, imò quamvis reliquis omnibus suspensis tantum super sit unus non suspensus, ut colligitur

ex c. 23. de elect. & c. 2. de postulat. Prælat. & ibi notant Barbol. n. 4. Laym. n. 2. Pirhing. n. 30.

Ad 3. neque eo casu, quo omnes Capitulares per suspensionem impediuntur eligere, devolutio ad Superiorem fit, sed curare illi debent, ut intra tempus, à jure præscriptum ad electionem, absolutionem à censura impetrant. Proceditque hoc, eti jam fecerint electionem aliquam ob suspensionem illorum invalidam; nam nec eo casu devolutio ad superiorem fit, sed nova electio fieri à Capitulo debet, ut docet

R. P. Schmalzgruber Confilia.

Gloss. fin. in c. cum inter. 16. de elect. Abbas ibid.

& colligitur ex c. cit. quia cum Papa eo textu mandet novam provisionem fieri, non autem explicet à quibus, satis significare videtur eam pertinere ad Capitulares, postquam à censura post satisfactionem congruam absoluti fuerint. Excipitur, si postquam ob censuram omnes denuntiati fuerint, vel contra eos exceptum, electionem irritam peregerint, atque ultra tempus pro electione statutum à jure absolutionem petere, novamque electionem Canonicam facere culpabiliter intermittent; tum enim jus eligendi ad superiorem devolvitur

juxta c. quamquam 18. de elect. in 6.

His declaratis facile inferri responso potest ad dubium in princ. num. præf. propositum. dico enim, ob suspensionem, quam illegitimè eligendo incurserunt Canonici in casu nostro, non esse factam devolutionem juris eligendi ad Celsissimum. Nam 1. non fuerunt denuntiati publicè, adçoque validè eligere possent, quamvis illicite, consequenter jus eligendi nondum est ipsis ablatum. 2. si Electores privati essent facultate eligendi ob censuram, jus eligendi persisteret apud eum D. Canonicum, qui prohibitionem Celsissimi veritus, non communicavit in electione. 3. eti omnes communicasset in electione & consequenter impiderentur ab eadem denuò facienda ob censuram, obligarentur solum, ut tempore competente impetrant absolutionem, & cum secundum dicta procedere ad novam electionem possent.

DUBITATUR III. an jus eligendi devolutum sit ad Celsissimum ex eo, quod Canonici Dubium isti celebraverint electionem contra justum imperium ejusdem volentis ex legitima causa differri electionem, & annallantis illam, si contra prohibitionem illius attentaretur? Resp. negative; neque enim censeri potest Celsissimus hoc suo decreto voluisse tollere Canonicis jus eligendi, cum iste sit favor concessus à jure communi, qui ab alio, quam qui supra jus est, tolli non potest juxta Reg. 17. in 6.

Conf. à pari: quia eti ex causa necessitatis, quæ electionem accelerari exposcit, terminus à jure communi electoribus pro electione constitutus ab ordinario Superiori restringi possit, ut rectè nota

Laym. de elect. Prælat. c. 9. n. 96. & supra dictum est n. 3. non tamen hic ita restringi potest, ut casu, quo intra terminum ita restrictum non fiat electio, jus eligendi devolvatur ad Superiorem, sed hoc, etiam evoluto eo termino integrum electoribus manet, quamdiu nondum lapsus est terminus, qui à jure præfixus est, ut bene advertit

Abb. in C. cum in veteri 52. de elect. n. 1.
(Hhh hh)

63

ex hac præcise ratione; quia jus eligendi à jure indultum auferri ab alio, quam quis supra jus est, non potest Reg. 17. cit. quin juris illius devolutio verosimilius etiam non fieret casu, quo electio ultra breviorem terminum etiam ab ipso Papa præfixum, differretur, nisi ille præfixus fuisset cum clausula importante devolutionem, vel electionem postea faciendi adimente facultatem, aut factam irritante; quia ex præcepto vel prohibitione simplici non recte infertur nullitas actus contra præceptum vel prohibitionem gesti

C. ad apostolicam. 16. de Regular.

Subfumo: atqui etiam in nostro casu versamur in re concernente jus à jure communi indultum, quod Episcopus auferre non potest prohibitione sua, & si posset, Celsissimus in nostro casu certè non voluit, cum solum posuerit prohibitionem cum clausula irritante electionem, non vero importante devolutionem. Dicendum igitur, quod neque ex eo, quod contra prohibitionem Celsissimi ad electionem electores processerint, jus eligendi sit devolutum ad Celsissimum, quare cum non appareat, ex quo capite devolutio ista facta sit, ad questionem n. 8. propositam respondeo, novam electionem concedendam Canonis vel omnibus, postquam à suspensione rite fuerint absoluti, vel saltem illi, qui decretum Celsissimi Ordinarii reveritus non interfuit electioni; nam penes hunc eti unicus sit, ut dictum est n. 10. potestas eligendi, ceteris suspensi residet: qui tamen melius exspectabit, donec à suspensione absolvantur ceteri; ut eos ad electionem admittat, quippe qui dum solus est, neque se eligere potest, neque alium ex gremio, quippe qui omnes ob suspensionem ineligibiles sunt.

C. ult. de Cler. excomm. c. cum bona 8. junct. Gloss. V. suspensus de atat. & qualitat. &c. & Gloss. in c. cupientes. 16. §. caterum. V. beneficiis de elect. in 6.

QUÆRITUR III.

An appellationi huic deferendum fuerit, & post eam interpositam Canonici eligentes pergere potuerint in sacris legendas, & cantandas?

12. **P**ro hujus questionis resolutione nota
Prænotanda.
1. tripliciter interponi appellationem posse. 1. ex justa & rationabili causa. 2. ex causa levi vel re minima. 3. per fraudem & malitiam e. g. intentione morandæ solutionis, aut judicij protrahendi causa. Si primo interponatur modo, deferrendum eidem est in omnibus casibus, in quibus jus non prohibet appellare, prout statuitur

I. judicibus 34. C. de appellat.
proceditque hoc non tantum, quando certum est, quod legitimam appellandi causam appellans habeat, sed etiam quando dubium est, an legitima illa sit; nam etiam tum judex à quo deferre debet eidem propter reverentiam superioris judicis.

Abb. in c. 59. n. 30. de appellat. Valens. eod. tit. §. 11. n. 7. Pirhing ibid. n. 174.

ratio est, quia sententia prius quam transit in rem judicatam, non magis habet pro præsumptionem iustitiae, quam iustitiae, sed pendet ab eventu, utrum justa vel iusta pronuntietur. Si secundo modo fiat appellatio, & hoc manifestum sit, judex à quo deferre ei non debet, sed potest nihilominus procedere ad executionem suæ sententiae, & appellans non obstante hac sua appellatione tenebitur eidem obedire, prout sumitur

ex c. cum appellationibus 5. de appellat. in

6. Vall. ibid. §. 17. n. 3. Pirhing n. 231.
ratio est, quia tantum appellare licet à gravamine iusto. Si tertio modo interponatur appellatio, iterum deferre illi non debet judex à quo, neque eam admittere, sed debet nihilominus in causa procedere, eamque definire, tanquam si non esset appellatum. Constat

ex c. suggestum 15. de appellat.
ratio, quia quod lege constitutum est ad certum aliquem finem, non debet ad effectum contrarium servire: cum ergo appellatio introductory sit, ut per illam tollatur iustum gravamen illatum appellanti, non debet servire ipsi ad opprimendum aliquem per fraudem vel malitiam.

Not. 2. Apostolos non unius esse specie; nam 1. dicuntur aliqui dimissorii, qui sunt litteræ ad judicem appellatum directa testificantes de appellatione coram judice à quo vel honestis personis interpolata & admissa. 2. Reverentiales, quando non ob causæ iustitiam, sed ob solam reverentiam Superioris, ad quem appellatum est, judex à quo defert appellationi.

3. Refutatorii, quibus judex à quo significat judici ad quem se non admississe appellationem: in his judex à quo debet exprimere causam, cur eam non admiserit, & apostolos dimissorios vel reverentiales negaverit. 4. Conventionales, quos dat pars adversa, sive appellata, admittens appellationem, sive in judicio judice refutante, vel tacente, sive extra judicium. 5. Testimoniales, ut quando in absentia judicis appellatur coram Notario, vel aliis honestis viris, qui in iis testantur appellationem coram se esse interpositam. Jam dimissorii apostoli dantur à judice à quo, quando causa appellationis est legitima: reverentiales, quando dubium est, an sit

13.

le.

legitima: quando verò appellatio est frivola aut frustratoria, judex à quo ei, qui sic appellavit, petenti alios dare non debet, quām refutatorios, quibus frivolam appellationem non receptam, & reverentiales seu dimissorios apostolos ex certa causa expressa negatos testetur. Interea autem nihil innovabit, donec devotionis articulus à Superiore decifus, & benè, malève judicatum aut appellatum pronuntietur.

l. sciendum 6. C. de appellat. recipiend.

14. Not. 3. à sententiis censurarum, excommunicationis, suspensionis, & interdicti appellari quidem posse ad Superiorum, ut hic de justitia eorum cognoscatur, effectum tamen illarum, si abolute sint latæ, hujusmodi appellatione non suspendi, prout constat de interdicto

ex C. ad hac 37. & ibi Gloss. V. Interdictum de appellat.

De excommunicatione & suspensione

ex C. is qui 20. in fin. de sent. excomm. in 6. ratio est, quia excommunicatio, & quævis alia censura executionem sententiae secum trahit, & statim, ac lata est, animam ligat: & hinc excommunicatus a fideliū communione, suspensus & interdictus à divinis officiis, ab ingressu Ecclesiæ, & ceteris spiritualibus statim abstinere debet, causa hoc statuendi fuit, ut censuræ sic magis timeantur, si scient homines effectum earum per appellationem non suspendi, vel impediri posse. Dixi si absolute sint latæ; nam si latæ sint hujusmodi censuræ sub conditione, multum refert, an appellatum sit ante conditionis eventum, an verò eā impletā. Si hoc zdam, censura effectum suum statim consequitur, quia transit in absolutam, & consequenter non securus ac aliæ censuræ absolute latæ executionem secum trahit.

C. pastoralis 53. §. verūm. de appellat.

Suar. D. 3. de censur. s. 6. n. 4. Pirhing de appellat. n. 234.

excipitur nisi censura lata sit sub conditione ipsius appellationis, & judex dicat: si appellaverit, sit excommunicatus; tunc enim cum ante appellationem non incurritur excommunicatio, post appellationem autem suspensa sit jurisdictio judicis censuram ferentis, etiæ appetet, excommunicatione non incurrit saltem attenta significacione verborum, & nisi aliter præsumi possit ex mente excommunicantis, quod intendat ligare censura etiam ante actum appellationis perfectum. Quod si primum contingat, & appellatum sit à censura conditionate lata ante conditionis eventum, sententia censuræ per appellationem sic interpositam suspenditur, ita ut non contrahatur, sive conditio, sub qualata est, servetur, sive non servetur, ut notavi n. 10. ad 1. ratio est, quia non potest quis censuram incurrire, nisi obligetur sententia, seu

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

præcepto exequendi id, quod sub censura ipsi præcipitur. atqui appellans à censura sub conditione lata non obligatur præcepto seu sententia judicis; quia si obligaretur, obligaretur vel ante conditionis eventum, & hoc fieri non potest, cum ab ejusdem eventu pendeat sententia obligatio; vel post eventum, & tunc per appellationem prius factam jurisdictio judicis Excommunicatoris jam est suspensa, ad eoque etiam sententia censuræ. Neque obstat, quod alias dispositio facta sub conditione, eā posita & impletā purificetur & obliget, perinde ac si ab initio pure & absolute facta esset

l. potior. 11. §. 1. ff. qui potior. in pignor. quia scilicet dispositio conditionalis impleta conditione, retrorahitur ad tempus, quo facta est, ut perinde idem sit, ac si ab initio sine conditione fuisset facta. Nam contra est, quia hujusmodi retrotractio solum fit, quando disponens id vult, aut velle potest, aut saltem debet. at in præsenti casu judex, qui censuram infligit sub conditione c. g. si Titius intra 20. dies non satisficerit, vel restituierit, non vult, nec velle potest, ut impleta conditione sententia censuræ retrorahatur ad tempus, quo lata est; nam censura non potest inferri, nisi præcedat transgressio, & contumacia, quam non incurrit ante 20. dies elapsos, & statutos à judice.

His notatis ad questionem n. 12. propositam 15. *Resp. 1. appellationi Canonicorum in casu Deciditur nostro non fuisse deferendum; quia solæ il. quæstio. læ appellationes, quæ rationabiles & justæ sunt, admitti debent à judge, cæteræ tanquam temerarie rejici, ut dictum est n. cit. atqui appellatio à DD. Canonicis interposita, non justa, sed frivola, vel etiam frustratoria fuit; quia vel nullum, vel saltem non injustum gravamen per Celsissimi decretum electionis inhibitorium passi sunt, ut constat ex n. 5. ergo &c. Resp. 2. petentibus potuisse dari apostolos, quibus Celsissimus significasset judici ad quem, se (causa expressa) non admisisse appellationem, prout explicatum est n. 13. & habetur*

l. fin. §. in refutationis 1. C. de appellat. *Resp. 3. DD. Canonicos attentando electionem Præpositi sub pena suspensionis ipso facto incurriendæ iisdem prohibitam, incurrisse suspensionem istam; quia appellatio frivola non suspendit sententiæ; ex quo sequitur per se loquendo post electionem à se attentatam debuisse illos se pro suspensi gerere, & ita abstinere à divinis officiis celebrandis. Dixi per se loquendo; nam potuit illos excusare dictamen erroneum, quo judicarunt, appellationem à se interpositam fuisse legitimam, & sic se non obligari ad parendum sententiæ. quo casu procedit doctrina relata n. præced. de censura lata sub conditione, & appellatione facta ante eventum conditionis.*

(H h h z)

C O N-